



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

Monvmenta Paderbornensia

Ferdinand <II., Paderborn, Bischof>

Paderbornae, 1669

Brvnisberga Prope Hvxariam.

urn:nbn:de:hbz:466:1-11425

lenus cum duobus fratribus. Clades illata haud modica fuit: nam templum primum subjecto pulvere nitrato disiectum, porte civitatis incensa, caetera pari ruina vastata. Quicquid cives & accolae post nuperam Suevicam expugnationem urbis huc convenerant, spolio abreptum. Postridie tres praestantes campana una cum turri corruerunt.

BRVNISBERGA PROPE HVXARIAM.

I. **B**RVNISBERGA. Manet etiamnum nomen huius loci & insignis fama, cui fidem faciunt scriptores antiqui, atque hos inter Poëta anonym. l. i. A. 775. Annal. incerti Auth. & vita Caroli M. apud Pithæum. Astronom. apud Reuberum, & Regino.

2. PROPE HVXARIAM. Quam Ludovicus Pius VI. Kal. Augusti indict. prima, Imperij sui X. qui fuit annus aëre Christianæ 823. Monasterio Corbejensi donavit. vid. diploma apud Gerhardum Cleinsorgium in hist. ecclesiastica Westph. MS. & Stangefolium in Annal. circul. Westphal. l. 2. pag. 120. Quo verò tempore cepit floruitque *Brunisberga*, *Huxaria* sive, ut tum nominata fuit, *Huxeri* villa tantum erat, postmodum verò hæc oppidum insigne evasit. Illa interim seu bello seu vetustate corruit, nec nisi mœnium vestigia, vallorumque & fossarum ostendit.

3. ARX. Montem Poëta Anonym. locum Astronom. & vita Caroli M. *arce[m] omnium fortissimam*. Cranzius. Wiedekindus Abbas Corb. in literis An. 1198. *castrum* appellant.

4. BRVNO-

4. BRVNONIS, Frequens hoc nomen apud optimates Saxonum antiquorum. Is qui *Brunisbergam* ad Visurgim condidit, nomen ei dedit, & sedem ibidem habuit, frater Widekindi Magni fuit, non æquè ac ille ad retinendam patriam superstitionem obstinatus: nam prior religionem Christianam amplexus legitur. Demum An. 790. obijt, Paderbornæ sepultus. Fabr. l. 2. orig. Saxon.

5. LATINI SANGVINIS INFECTAS CAEDE VISVRGBIS AQVAS. Vellei. lib. 2. cap. 105. & *annis mox nostra clade nobilis transitus Visurgis*. Varianam intelligit, quæ in via Visurgim versus contigit. *Varum ita acceperunt; ut omnibus ejus jussis obtemperaturi viderentur: proculque eum à Rhe-no in Cheruscorum fines ad flumen Visurgim abduxerunt*. Dio lib. 56. Nondum tamen illuc pervenerat, in itinere, antequam ad castra sita Alifone posset reverti, à Germanis oppressus & cæsus. Cur igitur ad Varianam cladem alibi illatam Visurgim Vell. & Dio nominarunt? *factum id fama annis, quia hic ex nobilissimis annibus cladi illi proximus fuit, XX circiter millibus passuum distitus*. Cluver. lib. 3. cap. 19. Ad ipsam postea ripam Germanicus Cæsar accessit; & flumen quod Romanos Cheruscosque interfluebat, transijt, sed non sine periculo, prælio & cæde.

6. SAXONES HIC AMNEM CAROLVM TRANSIRE PARANTEM. Quemadmodum acies Germanorum trans Visurgim stans, Germanicum transitu prohibere conata est, ita Carolum quoque, juxta *Brunesbergam*, Saxones arcere tentarunt. ut Poëta Anonym. lib. 1. A. 775. Vita Caroli M. apud Pithœum. Annales incerti Autho. apud eundem. Regin. Adelm. & Astronom. apud Reuberum, cujus hæc verba. *Inde ad Vvisaram fluvium veniens*

K

niens

niens, in loco, qui Brunenberg vocatur, congregatam Saxonum multitudinem offendit, qua eum transitu fluminis arceri conabatur. Sed frustra, nam in prima congressione pulsus fugatique sunt, & magnus eorum numerus ibidem interfectus est. Non tam facile fuit Brunenbergam expugnare. Cranz. lib. 2. Saxon. cap. 10. Inde verò majore apparatu ducens Rex in provinciam, Siburg & Eresburg arces iterum à Saxonibus communitas denuo expugnavit, & in arcem Brunenberg, qua omnium firmissima erat ad Visurgum fluvium, duxit oppugnandam: fuerat enim validum Saxonum presidium. Firmata est obsidio: ferunt remanere in hodiernis villis nomina ex castris regis, quæ tum erant tripartita: ut alio loco rex cum robore exercitus, alio etiam auxiliares tenderent: & tertio loco suis erant in castris qui stipendia mererent. Adijciunt Gallici Regem obsidionis pertaesum duxisse partem copiarum in Westphalos, Angarios. &c.

7. TELIS. Varia armorum telorumque genera Cluver. lib. 1. c. 45. enumerat, ex quibus Saxones longis lanceis, parvis scutis, & cultellis magnis usi fuerunt. Widekind. lib. 1. An. illis hæc loquentibus mirati sunt Franci præstantes corpore & animo viros, & novum habitum, arma quoque & diffusam scapulis casariem, & supra omnia ingentem animi constantiam: nam vestiti erant sagis, & armati longis lanceis, & subnixi stabant parvis scutis, habentes ad renes cultellos magnos. Georgius Fabritius orig. Saxonicarum lib. 1. pag. 66. de Saxonum armis etiam agit.

8. LITORE NVNC ILLO REGNAS CORBEIA. De cujus origine Anonymus in libello de transl. S. Viti, & instit. novæ Corb. à Meibomio edito, post notas ad Widickindi Corbejenfis hist. pag. 141. Factum est autem eodem tempore, ut Serenissimus Imperator Ludovicus haberet placitum

citum in Saxonia in loco, qui dicitur Patherbrunna, in secundo
 anno regni sui, incarnationis vero Domini octingentesimo decimo
 quinto. Tunc accessit prefatus Abba (Adalhardus) ad eum, &
 locutus est ei, eum consilio suadens, ut ad profectum Christiane
 religionis in eadem provincia Monasterium Monachorum con-
 struere juberet: quod cum piissimus Princeps benigne suscepisset;
PLACUIT ACCERSERE EPISCOPVM NOMINE
HATHVMARVM, AD CVIVS DIOECESIN PERTINEBAT
LOCVS, VBI CONSTRVENDVM ERAT MONASTERIVM,
VT CVM EIVS FIERET IMPERIO ET VOLVNTATE.
 Sicque factum est, ut ab ea die, & deinceps religio Monachorum
 etiam in regione Saxonica succresceret, atque proficeret. Cœpit
 autem edificare in loco, qui dicitur Hechi, ubi cum per sex, & eo
 amplius annos laborassent, nihil proficere potuerunt, nisi quod re-
 ligio sancta in loco deserto tradebatur. Augebatur tamen quoti-
 die numerus Monachorum ex nobilissimo Saxonum genere, pueri
 quoque bona indolis nutriebantur optime. Paucis deinde in-
 terjectis sequitur. Venerunt ergo anno octingentesimo vicesimo
 secundo Dominica Incarnationis, sub die octavo Id. August. re-
 gnante Ludovico Serenissimo Augusto undecimo anno ad locum
 memoratum: circumspectoque ex omni parte & undique circuien-
 zes, prostrati in orationem decantaverunt psalmos ad hoc officium
 pertinentes, & postquam compleverunt litaniam & orationem,
 jactaverunt lineam, & infixerunt paxillos, & ceperunt men-
 surare, prius quidem templum, inde habitationes fratrum, quod
 cum peregissent, constituentes qui quedam habitacula initiarent,
 ad propria sunt reversi: **SED PRIMVM PETIERVNT**
EPISCOPVM VT VENIRET, ET SANCTIFICARET
LOCVM, VEXILLVMQVE S. CRVCIS IN LOCO ALTARIS
PONERET, NOMENQVE VT CORBEIA VOCARETVR
APTARET. Quod factum esse octavo Kal. Septembris exstat. Epis-

*copus qui nomen imposuit, & Ecclesiam dedicavit BADVRADVS
 FVIT SVCCESOR HATHVMARI. Chronic. Corbejense
 editum à Meibomio. An. Incarnationis Dominic. 822. ind.
 15. 8. Kal. Sept. 2. feria Monachi qui in loco, qui Hetha dicitur,
 per septem annos prius demorabantur, inde egressi cum crucibus
 & reliquijs in hunc locum pervenerunt: LOCO QVE AB EPIS-
 COPO BADVRADO, QVI TVNC PRAESENS ADERAT, COR-
 BEIA NOMEN IMPOSITVM EST, erectoque tentorio, illat'q;
 crucibus & reliquijs, locum dedicaverunt, in honore & nomine S. Ste-
 phani Protomartyris, infodientes crucem Christi, ubi nunc altare esse
 dignoscitur. Ex his antiquissimis testimonijs manifestum est,
 Corbejam jam ab ejus initio in Dicecesi Paderbornensi si-
 tam esse; quod etiam omnes Apostolicæ Abbatum Cor-
 bejensium confirmationes, codex antiquus Cameræ Apo-
 stolicæ, in quo Episcoporum & Abbatum confirmandorum
 jura taxantur, diplomata Pontificia innumera, & ipsæmet
 Corbejensium literæ, & ex historicis Cranzius l. i. Metropol.
 cap. 24. & scriptor vitæ B. Meinverci, aliique confirmant.
 Corbejenses contra, nescio quibus exemptionis literis glo-
 riantur. Sed manus nostra oculatæ sunt, credunt quod vi-
 dent. Certè Alexander IV. Pontifex aut exemptionis privi-
 legia ostendere, aut Paderbornensibus Episcopis obedire
 jussit Corbejenses. Diploma Apostolicum est hujusmodi.
 Alexander Episcopus Servus Servorum Dei. dilectis filijs. Deca-
 no & .. scholastico Frislariensi & .. archipresbytero Ecclesie Ny-
 emburgensis, Maguntinensis Diœcesis salutem & Apostolicam be-
 nedictionem. Sua nobis venerabilis frater noster .. Episcopus &
 dilecti filij Capitulum Padeburnense. petitione monstrarunt.
 quod.. Abbas & Conventus Monasterij Corbejensis Ordinis san-
 cti Benedicti Padeburnensis Diœcesis asserentes Monasterium
 ipsum*

ipsum fore exemptum & se in exemptionis possessione fuisse à tempore cujus memoria non existit, eidem Episcopo tanquam Diocesano suo intendere denegant, & sibi de suis juribus respondere. in eorundem Episcopi & Capituli & Paderburnensis Ecclesie præjudicium & gravamen, quamquam dicti Abbas & Conventus exemptionis privilegium non ostendant. Quare dicti Episcopus & Capitulum nobis humiliter supplicarunt: ut providere ipsis & eidem Paderburnensi Ecclesie paterna super hoc sollicitudine curaremus. Quocirca discretioni vestrae per apostolica scripta mandamus. quatenus eosdem Abbatem & Conventum ex parte nostra moneatis & inducere procuretis. ut infra quindecim dies post monitionem vestram obediant dicto Episcopo, vel privilegia exemptionis ostendant. Alioquin vocatis qui fuerint evocandi & auditis hinc inde propositis quod canonicum fuerit appellatione postposita statuatis. Facientes quod decreveritis per censuram ecclesiasticam firmiter observati. Testes autem qui fuerint nominati si se gratia odio vel timore subtraxerint per censuram eandem appellatione cessante compellatis veritati testimonium perhibere. Quod si non omnes hijs exequendis potueritis interesse duo vestrum ea nihilominus exequantur. Datum Laterani V. Kal. Martij Pontificatus nostri Anno tertio.



9. CORBEIA. Hoc nomen debet *Auree Corbeie*, Galliae cœnobio, haud procul Ambianis, ad ripam Somonæ

K 3

Somonæ fluvij, An. Christi 660. à Bathilde, Saxonici generis heroina, Clodovæi 2. Francorum regis conjugæ fundato, ex quo in novam *Corbeiam Saxoniam* ad Visurgim Ludovicus Pius ejus fundator religiosorum hominum colonias deduxit. Quod Ioannes Trithemius ex Henrico de Hervordia annotavit, & vita S. Adelardi Corbejenfis Abbatis apud Bollandum 2. Januarij. pag. 107. & 117. confirmat.

10. HVXARIÆ DICIT IVS PADIBORNA TVÆ. *Huxaria.* (in cujus confinijs *Brunisberga*) à Letznero in Chron. Corbejen. cap. 67. 68. 69. 70. descripta, quamvis in ditione Corbejenfi sit sita; attamen ad ecclesiasticam sive sacram jurisdictionem Paderbornensis Episcopi pertinet; sedes illic Archidiaconalis præter *Huxariam, Albaxen, Tedelsheim, Brenckhausen, Erckelen, Luchtering, Boiffsen, Corbey, Holtzminnen, Oldendorp villam & oppidum, Meenbersen, Homborch, Heinhufen, Otberge, Beveren* complectitur. ex vetust. MS.

11. QVÆ SI POSTERITAS SERVASSET FOEDERA. Diverfissimus religionis in Paderbornensi & Corbejenfi ditione status. In Paderbornensi solius Catholicæ fidei cultus floret vigetque; in Corbejenfi Lutheri opiniones prævalent, Corbejenfis Abbatis in tuendis sacris impotentiâ, & per controversam à Corbeja, impeditamque Epif. Paderb. officio illic suo, si liceret, functuri ordinariam jurisdictionem multum certè stabilitæ ac propagatæ.

BOCA AD LVPPIAM.

BOCA. Brunisbergam castra Caroli M. prælium cum Saxonibus in transitu Visurgis, & diuturna obfidio